



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Coloniae Agrippinae, 1645**

Seculum decimumquintum ab Anno 1400. ad 1500.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

Hunc etiam Doctorem carpsit Io. Gerson, & defendit Dionysius Carthusianus. Id enim accidere solet iis, qui scribunt de mystica Theologia, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.

*De Marsilio ab Ingen. 1308.*

**M**arsilius ab Ingen, qui obiit an. Dom. 1396. sepultus in templo suburbano sancti Petri Heidelbergæ, scripsit Commentaria in quatuor libros Sententiarum non inutilia, & in Academia Heidelbergensi Doctor, & primus Rector fuit, anno 1387.

*De Baldo. 1390.*

**B**aldus Vbaldus, natione Italus patria Perusinus, celeberrimus Iureconsultus, ac Bartoli quondam auditor.

Scripsit præter ea, quæ ad ciuile pertinent.

Commentaria in libros Decretalium.

Obiit anno Domini 1420.

Seculum decimumquintum ab Anno  
1400. ad 1500.

*De Petro Ancharano. 1410.*

**P**etrus de Ancharano Bononiensis, Baldi auditor, floruit anno millesimo quadringentesimo decimo. Scripsit in libros Decretales, & in Clementinas, & Consilia.

*De Antonio de Butrio. 1410.*

**A**ntonius de Butrio Bononiensis, æqualis Petri de Ancharano. Scripsit in Decretales, & Clementinas & Repertorium Iuris Canonici.

De



*De Ioanne Capreolo. 1410.*

**I**oannes Capreolus Tolofanus, Ordinis Prædicatorum, sancti Thomæ doctrinæ defensor egregius. Scripsit Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, in quibus sancti Thomæ doctrinam ex ipso sancto Thomæ explicat, & obiectiones eorum, qui illam oppugnarunt optime dissoluit. Viuebat anno Dom. millesimo quadringentesimo decimo.

*De sancto Vincentio. 1410.*

**S**anctus Vincentius Ferrerius Valentinus, Ordinis Prædicatorum, vir Apostolicus, obiit ann. Dom. millesimo quadringentesimo decimo octauo, prædicauit multis in locis verbum Dei cum summa vtilitate populorum, Deo cooperante, & sermones eius confirmante sequentibus signis. Extant sub eius nomine tres tomi vtilissimarum concionum, quæ etsi forte ab eius discipulis scriptæ sint: tamen doctrinam eius continent.

Scripsit ipse tractatum de vita spirituali, breuem, sed plenum optima institutione.

Scripsit etiam epistolas varias.

In Catalogum Sanctorum relatus est à Callisto tertio summo Pontifice.

*De Francisco Zabarella. 1410.*

**F**ranciscus Zabarella, patria Patauinus, Archiepiscopus Florentiæ, & Cardinalis creatus à Ioanne XXIII. Papa. Obiit anno 1417.

Scripsit in Decretales, & in Clementinas.

Scripsit etiam Consilia, & repetitiones varias.

Necnon de horis Canonicis.

Sed occasione longissimi schismatis, scripsit etiam librum de schismate in quo sunt aliqua corrigenda: quare in Indice librorum prohibitorum liber eius de schismate cum præfationibus, Argentiæ impressus ab hæreticis, prohibitus est, donec corrigatur.



## De Petro ab Alliaco. 1410.

**P**etrus ab Alliaco Episcopus Cameracensis; & Cardinalis, creatus à Ioanne XXIII. anno 1411. Obiit sub Martino V. anno 1426.

Scriptit in quatuor libros Sententiarum.

Item de laude Scripturæ, & Ecclesiæ stabilitate.

Quæstiones in Exameron.

Paraphrasim in Psalmos.

Meditationes in psalmum 30. & 41.

In principium Euangelii secundum Marcum.

In Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam.

In Cantica B. Mariæ, & Zachariæ, & Simeonis.

Speculum considerationis.

Compendium contemplationis.

De spirituali scala.

De Sacramentis.

De legibus, & sectis.

De electione summi Pontificis.

De exercitio spiritali.

De Concilio generali.

De duodecim honoribus sancti Ioseph.

Sermones, & Epistolas.

De concordia Theologiæ, cum Astrologia, & historia.

De anima, & accidentibus eius.

Quæstiones in spheram Io. de Sacrobosco.

Tractatum in libros Meteororum.

Scriptit quoque vitam sancti Petri Cælestini, grauer, & pie, & renunciationem Pontificatus ab ipso factam laudat, & defendit contra detractores. Neque verum est, quod aliqui dicunt, hanc vitam non esse scriptam à Petro de Alliaco Archiepiscopo, & Cardinale, sed à quodam alio Petro de Alliaco Gymnasii Nauarrici Archididascalo, hoc, inquam, non esse verum, perspicue constat ex præfatione ad ipsam vitam, ubi se auctor Episcopum nominat. Vnum est, in quo reprehenditur hic auctor, quod videli-

cet



cet sensisse videatur Christi natiuitatem prænoscere potuisse ex genethliacis obseruationibus, atq; ad hoc adduxerit apparitionem stellæ, quæ apparuit Magis, de qua re vide Sixtum Senensem lib. 5. Bibliothecæ sanctæ, annotatione 15. & 81. & lib. 6. annot. 10.

*De Ioanne Gersone. 1420.*

**I**oannes Gerson Gallus, Cancellarius Parisiensis, vir doctus, & pius, obiit anno Domini 1429. multa opera scripsit, quæ tribus tomis edita sunt Argentorati anno 1488. quibus addita est quarta pars. Sed quia, vt plurimum, opuscula sunt parua, & in maximo numero, piguit ea describere.

*Obseruatio.*

Tribui solet huic Auctori præclarissimum opusculum de imitatione Christi, quatuor libris distinctum: sed nulli inter eius opera numeratur, nec in catalogo, quem scripsit frater ipsius Gersonis, nec in tomis editis Argentorati anno 1488. & iam plane cognitum est, esse Thomæ de Kempis viri admodum pii, de quo infra.

*De Thomâ Valdensi. 1420.*

**T**homas Valdensis, Anglus, Ordinis Carmelitarum Prior Prouincialis, floruit tempore Martini quinti Pontificis, cui opus suum dedicauit, & obiit Rothomagi in Gallia anno Domini millesimo quadringentesimo trigésimo.

Scripsit opus egregium, quod inscripsit Doctrinale fidei antiquæ, tribus tomis distinctum.

In primo tomo disputatur contra hæreticos Wiclefistas, Hussitas de Deo, De Christo, De Petro, De Ecclesia, De Religiosis.

In secundo de Sacramentis, contra eosdem.

In tertio de Sacramentalibus cont. eosdem.

Dicitur etiam scripsisse in multos libros diuinæ Scripturæ, & in Magistrum sententiarum Commentaria, & varios tractatus: sed ego non vidi, nisi tomos illos tres



doctrinale fidei antiquæ: nec scio an alia extent typis excusa.

*De Augustino de Roma. 1430.*

**A**ugustinus de Roma, Episcopus Nazarenus, Ordinis sancti Augustini, scripsit:

In primum librum sententiarum.

Item in omnes epistolas sancti Pauli.

in epistolas canonicas,

In Apocalypsim,

Scripsit etiam de peccato originali,

De libero arbitrio,

De potestate Papæ,

De Sacramento diuinitatis Iesu Christi, & Ecclesiæ.

De Christo capite, & eius inlyto principatu.

De charitate Christi circa electos, & de eius infinito amore.

Sed hæc tria opera prohibita inueniuntur in Indice librorum prohibitorum, donec expurgeatur. Obiit anno Dom. 1445.

*De Ioanne de Imola. 1430.*

**I**oannes de Imola Iureconsultus celebris, scripsit super tres libros Decretalium: super sextum, & Clementinas. Obiit anno Dom. 1436.

*De Paulo Burgenfi. 1430.*

**P**aulus de sancta Maria, relicta Iudaica secta, in qua natus erat, Episcopus Burgenfis creatus, scripsit additiones ad postillam Nicolai Lirani, quæ extant in ipso Lirano. Scripsit etiam scrutinium scripturarum libris duobus, viuebat ano

1430.

\* \* \*



*De Ioanne Archidiacono. 1430.*

**I**Oannes de Anania, Archidiaconus Bononiensis, scripsit  
Commentaria in Decretales.

Scripsit etiam volumen Consiliorum. Obiit anno Do-  
mini 1455.

*De Ioanne Ragusæo. 1438.*

**I**Oannes Ragusæus Ordinis Prædicatorum in Basileensi  
Concilio orationem habuit doctissimam per octo di-  
es de communione sub vtraque specie contra Hussitas,  
quæ extat apud Henricum Canisium tomo tertio antique  
lectionis, vbi etiam multa habentur alia de hæresibus Bo-  
hemorum.

*De Henrico Kalteisen.*

**H**enicus Kalteisen Ordinis sancti Dominici; in eo-  
dem Concilio Basileensi disputauit contra Hussitas  
de libera prædicatione Verbi Dei, per tres dies: & dispu-  
tatio, siue oratio extat apud Henricum Canisium tom. 4.  
part. 2. antiquæ lectionis.

*De S. Bernardino Senensi. 1438.*

**S**ANCTUS Bernardinus, patria Senensi, professione Fran-  
sciscanus, vir doctrina, & miraculis clarus vniuersam I-  
taliæ sacris Concionibus illustrauit.

Obiit Aquilæ, vbi corpus eius integrum inuisitur, anno  
Domini 1441. & à Nicolao quinto summo Pontifice inter  
sanctos relatus est anno millesimo quadringentesimo  
quingagesimo.

Scripsit sermones de tempore.

Sermones de Sanctis.

Sermones contra Iudæos.

Scripsit etiam in Apocalypsim.

De Euangelio æterno.

*De*



De Christiana Religione.  
 De Conceptione B. Mariæ Virg.  
 De passione Domini.  
 De virtutibus & vitiis.  
 De fructibus Eleemosynæ.  
 De triplici statu animæ.  
 De triplici amore Magorum.  
 De sacrificio Abraham.  
 De veritate.  
 De amore Dei, & animæ.  
 De Spiritu sancto.  
 De casibus proprietatis.  
 Officium nominis Iesu.  
 De mundana prosperitate.  
 De Pastoralis gubernatione.  
 De S. Ioseph. sponso Virginis.  
 De circumstantiis nationum.  
 De diuino amore.  
 De triplici Christi natiuitate.  
 De tribus tormentis peccatorum.  
 De obedientia.  
 Defensorium veritatis.

*De Ioanne de Polemar. 1438.*

**I**oannes de Polemar Archidiaconus Barcinonensis, in eodem Concilio Basileensi orauit per tres dies contra Hussitas ciuili dominio clericorum: & oratio extat apud Henricum Canisium tomo 4. part. 2. antiquæ lectionis.

*De B. Ioanne de Capistrano. 1440.*

**B**o Ioannes de Capistrano, natione Italus, Ordinis Minorum sancti Bernardini amicissimus, laboribus maximis pro Ecclesia perfunctus obiit anno Domini 1456.

Scripsit de dignitate Ecclesiastica ad Nicolaum V. Papam.

De illustranda conscientia.

De



De censuris.

De pœnis Inferni, & Purgatorii.

De pœnis iniungendis.

De restitutione, & contractibus.

De Matrimonio.

De conceptione B. Virg.

De Iudicio vniuersali, & Antichristo,

De potestate Papæ, & Concilii.

De auctoritate Concilii, siue Ecclesiæ.

Speculum Clericorum.

De cupiditate.

De Passione Domini.

Contra Hussitas.

Aduersus Ioannem Rochesanum, hæreticum Hussitam.

Scriptit denique Epistolas ad varios.

*De Alphonso Tonstato. 1440.*

**A**lphonsus Tonstatus natione Hispanus, Episcopus Abulensis, vir sanctitate, & doctrina celeberrimus: vixit tempore Eugenii quarti Pontificis, circa ann. Dom.

1440.

Scriptit Commentaria copiosissima in Pentateuchum, in Iosue, Indices & Ruth: nec non in libros Regum, & Paralipomenon, & in Euangelium sancti Matthæi, in quibus Commentariis dissoluit, quæstiones innumerabiles ut merito de eo scriptum sit, Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne, & quod magis est admirandum, tanta scripsit breuissimo tempore, cum non vixerit nisi annos quadraginta. Neque solum Commentaria illa scripsit, sed etiam opuscula plurima, è quibus extant.

Defensorium trium conclusionum.

Liber de sancta Trinitate.

Liber contra Sacerdotes concubinos.

Paradoxa.

Explicatio verborum Isaïæ, Ecce virgo concipiet.

Liber de statu animarum post mortem.

Liber de optima politia.



Obferuandum est, defensorium esse caute legendum in secunda parte cap. 36. & 68. 69. & sequentibus multis, vbi de summo Pontifice disputatur.

*De Blondo Historico. 1440.*

**F**lauius Blondus, patria Foroliuensis, à secretis fuit Eugenio quarto summo Pontifici, & scripsit hitoriam Romanam; in qua multa Ecclesiastica continentur, ab inclinatione Imperii vsque ad sua tempora, id est, ab an. Dom. 407. vsque ad annum 1400.

*De Nicolao Panormitano. 1440.*

**N**icolaus Tudescus, natione Sículus, patria Catanensis, Ordinis sancti Benedicti, Abbas, & postea Archiepiscopus Panormitanus, ac demum S. R. E. Cardinalis creatus, sed in schismate à Felice quinto Antipapa. Vir fuit Iuris Canonici peritissimus, & plurima scripsit, quæ tomis octo comprehenduntur in editione Veneta anni 1592.

In primo, & secundo tomo habentur Commentaria in primum librum Decretalium.

In tertio, quarto, & quinto tomo habentur Commentaria in secundum librum Decretalium.

In sexto tomo habentur Commentaria in tertium Decretalium.

In septimo tomo habentur Commentaria in quartum, & quintum Decretalium: & in epistolas Clementinas.

In octauo tomo habentur Consilia 226. quæstiones septem.

Item Relectio in cap. Per tuas, de Arbitris.

Item Practica eiusdem.

Dicitur etiam scripsisse Commentarium inchoatum in Decretum: sed nescio, an extet. Dicitur etiam scripsisse librum pro concilio Basileensi, sed hunc librum, vt in mala causa scriptum, & proinde erroneum, credibile est ex eius operibus abrasum fuisse. Ego certe inter eius opera variarum editionum eum nusquã reperi. Quamuis autem hic auctor sederit in Concilio Basileensi, etiam quo

rem-



tempore Concilium acephalum, & schismaticum erat: tamen in eo bene se gessit, quod introducentibus in Concilium multitudinem Presbyterorum, ob defectum Episcoporum liberrime contradixit: ut testatur Æneas Sylvius, qui præsens aderat, in historia Concilii Basileensis. Sciebat enim & docebat, in Conciliis, præsertim generalibus, locum non esse simplicibus Presbyteris, quo ad votum decisivum, nisi locum tenerent absentium Episcoporum. Obiit Nicolaus, Abbas Panormitanus anno 1445.

*De S. Antonino Florentino. 1445.*

**S**AUCTUS Antonius, patria Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ac postea Florentiæ Archiepiscopus, vir doctissimus, & sanctissimus, obiit anno Domini 1492. ætatis septuagesimo, quem in sanctorum Catalogum retulit Adrianus VI. Pontifex.

Scriptit summam historiam in tres partes diuisam.

Summam Theologicam, in quatuor partes diuisam.

Librum de eruditione Confessorum, qui dicitur, De fecerunt, quia incipit, De fecerunt scrutinio.

Dicitur etiam scripsisse Trialogum de Christo, & duobus discipulis euntibus in Emmaus, in quo explicantur omnia, quæ de vita morte, & Resurrectione Domini prædicta sunt.

*De Ænea Syluio. 1450.*

**Æ**NEAS Sylvius, patria Senensis, vir doctus, prudens, & magni animi, ac primum à secretis Imperatoris, deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique summus Pontifex Pius secundus, dum expeditionem magnam aduersus Turcas Christiani nominis hostes moli-retur, obiit anno Domini 1464.

Scriptit de rebus Ecclesiasticis contra Thaboritas librum vnum.

Ad Nicolaum de Cusa, lib. 1.

De Fide ad Imperatorem Turcarum.

De historia Boemorum.



De clade Constantinopolitana.  
 De conuentu Mantuano, Oratio.  
 Ad Callistum Papam, Oratio.  
 Ad Cardinales, Oratio.  
 Decadum Blondi, Epitomen.  
 Epistolas multas.  
 De Concilio Basileensi, libros duos.  
 Retractationem.  
 Commentaria de rebus à se gestis.  
 Responſionem ad Martinum Meier pro Ecclesia Romana.  
 Scripsit præterea multa ad humanitatem, ad poeſim,  
 ad Chorographiam pertinentia.

*Obſeruatio prima.*

Quæ scripsit Æneas pro Concilio Basileensi, cum iuuenis eſſet, retractauit ſenex, & Pontifex Maximus: & quamuis libri illi de Concilio Basileensi merito prohibiti ſunt ab Ecclesia Catholica: tamen hæretici Basileenſes, qui nuper eosdem libros recuderunt, non tam Eccleſiæ Catholicæ, quam cauſæ ſuæ detrimentum attulerunt. Si quidem ex historia illa Æneæ Syluii de Concilio Basileensi, apparet illud Concilium initio fuiſſe legitimum: ſed ubi verum Pontificem Eugenium quartum deponere aggreſſi ſunt Patres illi, iam non habuiſſe formam veri Concilii, non ſolum, quod acephalum eſſet, ſed etiam quod contra formam omnium veterum Conciliorum plures eſſent in eo Conuentu Presbyteri cum voce deciſiua, quam Epifcopi: notiſſimum enim eſt, concilia generalia, vt etiam prouincialia, Epifcoporum eſſe, non minorum Sacerdotum: ſic enim legimus in Concilio Chalcedonenſi actione prima: Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epifcoporum eſt. Vide, ſi placet, quæ ſcripſimus lib. 3. de Eccleſia cap. 16.

*Obſeruatio ſecunda.*

Extant Commentaria de rebus geſtis Pii ſecundi ſub nomine Ioannis Gobellini, ſed dubium eſt, an illud opus  
 ſc



fit ipsius Pii Pontificis, an vero eius, sub cuius nomine prodiit extant enim manuscripta commentaria eodem sub nomine Pii secundi, & stylus videtur esse idem in hoc opere & in aliis eiusdem auctoris, sed res non est magni momenti.

*De Andrea Barbatio. 1460.*

**A**ndreas Barbatius Siculus, floruit anno 1460.

Scriptit in Decretales.

Scriptit etiam de Cardinalium præstantia.

Scriptit quoque varia consilia.

*De Laonico Chalcondyla. 1460.*

**L**aonicus Chalcondyla Atheniensis, scripsit historiam libris decem de origine, & rebus gestis Turcarum vsque ad sua tempora, id est, ad annum Domini 1462. cui historię adiecta est appendix, qua continuatur historia vsque ad annum Domini 1565. hunc auctorem ponimus inter Ecclesiasticos, quoniam eius historia plurima continet ad res Christianas pertinentia.

Quia tamen hic auctor ab hæretico homine latinitate donatus est, & annotationibus in margine positis auctus, in Indice librorum prohibitorum eius lectio interdicta inuenitur. Ipse etiam Laonicus non caret narrationibus falsis, quas temere credidit rerum nostrarum ignarus.

*De Ioanne Bassolio. 1460.*

**I**oannes Bassolius Ordinis Minorum, scripsit in quatuor libros sententiarum non contemnenda Commentaria, viuebat anno Domini 1466.

*De B. Laurentio Iustiniano. 1440.*

**B** Laurentius Iustinianus, patria Venetus, ac primum Canonicus Regularis, deinde Episcopus Venetiarum, postremo primus eiusdem Urbis Patriarcha, floruit doctrina, sanctitate, & miraculis temporibus Eugenii quarti, & Nicolai quinti Pontificum Romanorum, cir-



ca annum Domini 1440. Obiit anno 1455. Scripsit volumina quindecim, quorum hi sunt tituli:

Lignum vitæ.

De disciplina Monastica.

De connubio Verbi, & Animæ.

De humilitate.

De spiritali interitu animæ.

De triumphali agone Christi.

De interiori conflictu.

De complanctu Ecclesiæ.

De corpore & sanguine Christi.

De vita solitaria.

De contemptu mundi.

De sermone Domini in cœna.

De officio Pastoralis.

De obedientia.

De gradibus perfectionis.

Scripsit præterea sermones quadraginta. Obiit anno ætatis 74. Episcopatus vicesimo quarto, sed quinque annis vltimis fuit etiam Patriarcha.

*De Ioanne de Turrecremata. 1440.*

**I**oannes de Turrecremata, natione Hispanus, & Ordinis Prædicatorum Cardinalis Presbyter sancti Sixti ab Eugenio quarto creatus, postea Episcopus Cardinalis Sabinus, Theologus, & Iureconsultus eximius obiit anno Domini 1468. ætatis 80. maior.

Scripsit Summam de Ecclesia, quatuor libris.

Apparatum super Decretum Eugenii IV. de vnione Græcorum cum Latinis.

Commentaria in Decretum Gratiani.

In Psalterium.

In Euangelia Dominicalia.

In Euangelia de Sanctis.

De corpore Christi contra Bohemos.

De salute animæ.

De aqua benedicta.

De conceptione B. Virginis.

In Re-



In regulam sancti Benedicti.  
Meditationes de vita Christi.

*De Matthæo Palmerio. 1440.*

**M**atthæus Palmerius Florentinus, vixit tempore Concilii Florentini, vt ipse testatur in Chronico. Scripsit, siue continuauit Chronicum ab anno 449. vbi desit S. Prosper, vsque ad annum 1449. Scribit quidem Ioan. Trithemius, hunc Matthæum postea de hæresi cõuictum, & damnatum fuisse, sed in Chronico ipsius nulum ego erroris inueni vestigium.

*De Matthia Palmerio. 1440.*

**M**atthias Palmerius Pisanus, vixit eodem seculo, & continuauit Chronicum Matthæi ab anno 1450. vsque ad millesimum quadringentesimum octuagesimum primum.

*De Bessarione Cardinali.*

**B**essarion natione Græcus, patria Trapezuntius, dignitate Episcopus Nicænus, postea Cardinalis S. R. E. ab Eugenio quarto Pontifice creatus, multis legationibus perfunctus, multisque aliis piis laboribus fatigatus, obiit anno Domini 1472. Sixto quarto sedente.

Scripsit Orationem pro vnione, prolixam, & doctissimam, quæ extat Græce, & Latine sess. 25. Concilii Florentini.

Scripsit quoque aliam breuiorem, quæ pariter extat Græce, & Latine sess. 1. eiusdem Concilii,

Scripsit etiam librum aduersus Marcum Ephesium pro defensione Ecclesiæ Romanæ.

Scripsit quoque de verbis consecrationis aduersus eundem Marcum.

Scripsit de illo Ioannis 21. Sic eum volo manere, donec veniam.

Scripsit denique multa Philosophica in defensionem Platonis, & Metaphysicam Aristorelis latinitate donauit: & libros tres consolatorios ad Imperatorem Græcorum misisse dicitur.



*De Gregorio Scholario. 1440.*

**G**regorius Scholarius vir inter Græcos sapientissimus.

Scriptit Orationes quatuor de pacē inter Græcos, & Latinos ineunda, quæ habentur Græce, & Latine post Concilium Florentinum: hic idem censetur esse ille Genadius (quippe qui mutauerit nomen assumptus ad Patriarcham Constantinopolitanum) qui scripsit quinque Orationes de quinque articulis controuersis pro veritate Catholica.

De processione Spiritus sancti.

De primatu Papæ.

De Azymo.

De Purgatorio.

De visione Dei ante resurrectionem corporum.

*De Iosepho Methonensi. 1440.*

**I**oseph Episcopus Methonensis eodem tempore scripsit librum responsionis pro Concilio Florentino ad librum Marci Ephesii calumniatoris eiusdem Concilii. Exstat autem hæc responsio Græce, & Latine post idem Concilium.

*De Gregorio Protosincello. 1440.*

**G**regorius Magnus Protosincellus, ac postea Patriarcha, scripsit responsionem aliam contra Epistolam Marci Ephesii: quæ responsio impressa est Græce & Latine post Concilium Florentinum. Dicitur autem iste Gregorius Romæ sepultus fuisse, & miraculis coruscasse.

*De Nicolao de Cusa.*

**N**icolaus de Cusa, natione Germanus Decanus sancti Florini, deinde Episcopus Brixinensis, denique Cardinalis S. Petri ad Vincula à Nicolao V. Pontifice creatus, vir



us, vir fuit æque pius ac doctus. Obiit anno Dom. 1464.  
ætat̄is 63.

Scriptit de Visione Dei.

De docta ignorantia.

De reparatione Kalendarii.

De cribratione Alcorani.

De venatione sapientiæ.

De ludo globi mystici.

Aduersus Boemos.

Coniecturam de nouissimis diebus.

De dato Patris luminum.

De quærendo Deo.

Directorium speculantis.

De filiatione Dei.

Dialogum de Genesi.

De concordantia Catholica.

Sermones per annum & epistolas ad diuersos.

Scriptit de Mathematica perfectione.

De Berillo.

De apice theorica.

De quadratura circuli, & De fortuna.

Atque hæc in primo tomo.

*In secundo Tomo habetur.*

Dialogus de Deo abscondito.

De annunciatione Dominica.

Excitationum libri decem.

Epistolæ septem.

Correctio tabularum Alfonsi.

De perfectione mathematica.

De Arithmeticæ complementis.

De transmutationibus geometricis.

Complementum Theologicum.

*Observatio.*

Nicolaus de Cusa concordantiam Catholicam scripsit  
iuuenis inchoante videlicet concilio Basileensi, & quia  
magna tunc erat fama Concilii Basileensis, cœpit & ipse  
cum multis aliis exaltare potestatem Concilii, &  
depri-



de primere auctoritatem Apostolicæ sedis: sed postea ubi vidit pertinaciam eorum, qui concilio adhærebant, ut etiam auderent schisma facere, & aduersus legitimum Pontificem, idolum erigere, cœpit & grauissimis epistolis eos detestari, & pro extinctione schismatis plurimum laborare. In qua re imitatus est Iulianum sancti Angeli Cardinalem præstantissimum, & Æneam Syluium, postea Pium secundum Pontificem, qui initio concilium Basileense contra Eugenium Pontificem defenderunt: postea vero pro Eugenio Pontifice contra Concilium depugnarunt. Vide retractationem Pii II. in iis, quæ spectant ad Iulianum Cardinalem: & epistolam Nicolai de Cusa ad Rodericum, in iis, quæ ad ipsius Nicolai sententiam, & iudicium pertinent.

*De Dionysio Carthusiano. 1450.*

**D**ionysius Carthusianus, natione Belga, vir fuit sanctissimus, & doctissimus, vixit in ordine Carthusiano annos 48. obiit anno ætatis suæ 69. qui erat annus salutis. 1471.

Scriptit in omnes libros Scripturæ diuinæ.

Scriptit in quatuor libros Magistri sententiarum.

Scriptit plurima quorum Catalogum, vna cum vita ipsius, inuenies post finem Commentarii in librum quartum sententiarum.

In libello de quatuor nouissimis caute legendus est circa statum animarum in Purgatorio degentium.

*De Thoma de Kempis. 1460.*

**T**homas de Kempis, natione Belga, professione Canonicus regularis, vir magnæ pietatis; obiit anno Domini 1471. ætatis 91. ut in vita eius, quæ præfixa est operibus ipsius legitur.

Omnium eius operum catalogum desumere licet ex P. Henrico Sommario, qui ea diligenter collegit, & Antuerpiæ excudi curauit anno 1607. nimirum.



*Tomo primo.*

Sermones ad Nouitios triginta.  
Sermones ad Eratres nouem.  
Sermones sex & triginta.

*Tomo secundo, parte prima.*

De imitatione Christi libri quatuor.  
Soliloquia animæ.  
Hortulus rosarum.  
Vallis liliorum.  
De trihus tabernaculis.  
De disciplina Claustralium.  
De fidei dispensatore.  
Hospitale pauperum.  
Dialogus Nouitiorum.  
Spiritualia exercitia Religiosorum duplicia.  
Doctrina Iuuenum.  
De vera cordis Compunctione.  
De solitudine & silentio.

*Tomo secundo parte secunda.*

De recognitione propria fragilitatis.  
Epitaphum, seu Enchiridium Monachorum.  
Manuale paruulorum.  
De eleuatione mentis ad inquirendum summum bonum.  
Alphabetum paruum Monachi, in schola Christi.  
Consolatio pauperum & infirmorum.  
Orationes plurimæ admodum piæ, atque deuotæ.  
De mortificatione sui ipsius.  
De humilitate.  
De vita bona, & pacifica.  
Vita boni Monachi.  
Hymni & Cantica spiritulia valde pia.

*Tomo tertio.*

De vita Christi meditationes.



Vita B. Liduigis Virginis.

Magistri Gerardi Magni, & D. Florentii vitæ.

Vitæ discipulorum vtriusque, scilicet M. Gerardi, & D. Florentii.

Sex epistolæ vtilis, ac religiosæ plurimum.

*Observatio.*

Scriptos & compositos esse ab eodem Thoma quatuor libros de imitatione Christi supradictos, contrariis coniecturis euerfis, demonstrat euidenter in Vindiciis Kempensibus P. Heribertus Rosuueydus: cuius mihi & rationes plenissime satis fecerunt, & sententiam, penitus amplector. Opusculum sane vtilissimum est, ac iure in rota ecclesia summo omnium consensu receptum, & frequentatum, & in omnes pene linguas conuersum. Ego certe ab adolescentia, & vsque in senectam hoc opusculum sapissime volui, & reuolui, & semper mihi nouum apparuit, & nunc etiam mirifice cordi meo sapit.

*De Henrico Harphio. 1464.*

**H**enricus Harphius, natione Belga, patria Mechliniensis, professione Franciscanus, vixit tempore Pauli secundi Pontificis.

Scriptit de decem præceptis, quod opus, speculum aureum nominauit.

Item de tribus partibus pœnitentiæ.

Tractatum de effusione cordis.

Directorium aureum contemplatiuorum.

Collationes tres.

Sermones per Quadragesimam:

Denique de mystica Theologia libros tres.

Quod est præcipuum inter opera Harphii.

Sed hoc opus interdictum fuit in Indice librorum prohibitorum, nisi repurgatum esset ad exemplum

eius, quod repurgatum prodiit

Romæ an. 1585.



*De Alexandro Antelle.*

**A**lexander Antelle Florentinus scripsit in Sextum, & Clementinas.

*De Baptista Platina. 1472.*

**B**aptista Platina, patria Cremonensis, vixit tempore Sixti Papæ quarti, cui dedicauit librum de vitis Pontificum Romanorum, & obiit anno Domini 1481.

Scripsit librum de vitis Pontificum à sancto Petro vsque ad Paulum secundum, cui libro addidit Onuphrius Panuinius notas non contemnendas, & præterea vitas sequentium Pontificum vsque ad Pium quintum, quam tamen solum inchoauit.

Scripsit præterea librum de naturis rerum, & libros decem, de honesta voluptate, & valetudine, & epistolas ad diuersos.

*De Ambrosio Camaldulensi. 1480.*

**A**mbrosius Camaldulensis, Florentinus, Abbas generalis Ordinis sui, vir fuit doctus, & prudens, & obiit anno 1490.

Scripsit Tractatum de Spiritu sancto.

Item de Sacramento Corporis Christi.

Item orationes, quarum vnâ Græco idiomate habuit Ferrariæ coram Imperatore Græco & Episcopis Græcis.

Scripsit etiam Epistolas multas.

Et vitas sanctæ Eugeniæ Virginis, & Martyris.

Nec non Prothi, & Iacinti Martyrum.

Vertit autem ex lingua Græca in Latinam librum sancti Basilii de Virginitate.

Vitam sancti Ioannis Chrysostomi.

Et Homilias eiusdem in Matthæum.

Item libros sancti Dionysii Areopagitæ.

Et alia non pauca.

*De Pacifico. 1580.*

**P**acificus Ordinis Minorum, vixit circa annum 1480.

Scripsit summam casuum conscientiæ, quæ pacifica nomina



nominatur : ea summa ex Latino idiomate in Italicum conuersa edita fuit Venetiis anno 1574. & 1580.

*De Angelo Clauasio. 1480.*

**A**ngelus à Clauasio, Ligur Ordinis Minorum, scripsit summam casuum conscientiae, quae Angelica dicitur, vixit circa annum Domini 1480.

*De Baptista Trouamala. 1483.*

**B**aptista Trouamala Ordinis Minorum eodem tempore scripsit Louanii summam casuum conscientiae, quae dicitur Rosella.

*De V Venero Vesphalo. 1483.*

**V**vernerus Vesphalus scripsit Fasciculum temporum ab initio mundi vsque ad annum 1484. continuauit hoc opus Ioannes Lintumus vsq; ad annum millesimum quingentesimum decimum quartum.

*De Gabriele Biel. 1490.*

**G**abriel Biel, natione Germanus, qui Tubingae diu docuit, floruit circa annum Domini 1490.

Scripsit Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum.

Item expositionem Canonis Missae, & Sermones varios.

*De Iacobo de Valentia. 1490.*

**I**acobus de Valentia Episcopus Christopolitanus, vixit circa annum 1490. vt colligitur ex prooemio Fini Hadriani.

Scripsit Commentaria in Psalmos, & in Cantica Salomonis.

Scripsit etiam in Cantica Zachariae, B. Virginis, & Simeonis, & in Hymnum, Te Deum laudamus, & contra Iudaeos de Christo reparatore generis humani.



De Cypriano Beneto. 1490.

Cyprianus Benetus Aragonensis Ordinis Prædicato-  
rum, scripsit quatuor Tractatus qui extant, vnum  
de prima Orbis sede: alterum de concilio: tertiam de po-  
testate Ecclesiastica: quartum de Pontificis maximi po-  
testate.

De Fino Hadriano. 1490.

Finus Hadrianus Ferrariensis, viuebat senex anno 1503.  
Vt ipse testatur in proæmio sui operis, scripsit in vlti-  
ma sua ætate volumen magnum & egregium, libris no-  
uem distinctum, quod inscripsit, Flagellum in Iudeos.  
Exiit excusum Venetiis anno Domini 1583.

De Ioanne Pico. 1490.

Ioannes Pico Mirandulæ Comes, vir ingenio, & do-  
ctrina (pro ætate) maximus, vixit annos solum triginta  
tres, & obiit anno Domini 1494. scripsit tamen.

In primum caput Genesis, & de opere sex dierum ex-  
positionem multiplicem libris septem comprehensam.

Item explicationem Orationis Dominicæ.

Item conclusiones nongentas, quas disputandas publi-  
ce proposuit.

Item Apologiam aduersus eos, qui aliquot eius com-  
clusiones carpebant.

Item de ente, & vno.

Item de hominis dignitate.

Item regulas Christianæ vitæ, ad vincendas tentatio-  
nes, & mundum peritiles.

In Psalmum 15. Conserua me Domine, explicatio-  
nem.

De Christi Regno, & Mundi vanitate.

De Astrologia, siue potius contra Astrologiam iudici-  
ariam lib. 12.

Item in conuiuium Platonis libros tres. Denique ele-  
gias, & epistolas varias. Quid si hoc ingenium aliis trigin-  
ta an.



ta annis excoli potuisset? Omnino enim nihil ei defuit nisi maturitas.

*De Marsilio Ficino. 1490.*

**M**arsilius Ficinus, Florentiæ natus est, ut ipse testatur in quadam epistola, anno Domini 1413. Obiit vero anno 1499. Vir fuit peritus non vulgariter, tum sacre Theologiæ, tum etiam Platonice philosophiæ.

Opera eius duobus tomis excusa sunt Basileæ anno 1561,

*In primo Tomo.*

De Christiana religione, lib.	1
De immortalitate animorum, lib.	18
In epistolas beati Pauli, ascensus usque ad cælum ad Paulum intelligendum. Sed non explicat nisi epistolam ad Romanos.	
Prædicationes habitæ ad Fratres.	
De sanitate tuenda studiosorum, lib.	
De vita producenda, lib.	
De vita cælitus comparanda,	
Apologia, in qua, de Medicina, Astrologia, vita Mundi & de tribus Magis agitur.	
Antidotus Epidimiarum.	
Epistolarum lib.	12
De sole liber allegoricus, & anagogicus.	
De lumine liber.	
De voluptate liber.	

*In secundo Tomo sunt.*

Aut versiones librorum, aut opera Platonica.

*De Iacobo Philippo Bergomensis. 1494.*

**I**acobus Philippus Bergomensis, Ordinis S. Augustini vivebat anno Domini 1494.

Scriptit historiam ab initio mundi usque ad annum Domini 1436. libris quindecim, quod opus inscripsit supplementum chronicorum.

Scriptit



*Ab anno Dom. 1400. ad 1500.*

303

Scipit etiam de claris mulieribus Christianis.

*De Antonio Bonfinio. 1500.*

**A**ntonius Bonfinius viuebat anno 1500. Scipit hi-  
storiã Hungaricã: & Commentarium de pudici-  
tã. Sed hoc in Indice Romano prohibitum est.

*De Roberto Gaguino. 1500.*

**R**obertus Gaguinus Gallus, Ordinis S. Trinitatis Ge-  
neralis, viuebat anno Domini 1500.

Scipit pro Conceptione beatæ Virginis tam carmine  
quam soluta Oratione libros duos.

De miseria humana, lib. .1.

Orationes, & epistolas.

Denique de origine, & Regibus Francorum, libros  
duodecim vsque ad Carolum VIII.

Quæ est historia annorum mille, & ducentorum.

*De Marco Antonio Cocchio Sabellico. 1500.*

**M**arcus Antonius Coccius Sabellicus, vir valde eru-  
ditus viuebat anno Domini 1500. Eius opera qua-  
tuor tomis Basileæ excusa fuerunt anno 1560.

In primo Tomo continetur historia ab Orbe condi-  
to, per enneades quinque, id est, libros quadraginta quin-  
que.

In secundo continetur continuatio historiæ per en-  
neades sex id est, libros quadraginta septem: nam ennea-  
dis vltima non habet nisi libros duos. In eodem tomo  
continetur historia Venera per decades tres, & quartæ li-  
bros tres.

In tertio continentur supplementi per alios additi libri  
viginti nouem.

In quarto exemplorum libri decem.

De Aquileiæ antiquitate lib.

De Veneræ Urbis situ.

De Veneris Magistratibus,

6

4

1

De



De Prætoris officio.

De officio scribæ dialogus.

De Latinæ linguæ reparatione dialogus.

Epistolarum lib.

Orationes.

Poemata varia.

*De Paulo Middelburgio. 1500.*

**P**Aulus Middelburgius Episcopus Forosempronii, viuebat anno 1500. & scripsit ad Leonem decimum libros de tempore Paschali & ad Maximilianum Imperatorem libros de die passionis Domini, qui notissimi sunt.

*De Ioanne Nauclero. 1500.*

**I**Oannes Nauclerus Præpositus Tubingensis viuebat an. 1500. Scripsit ingens Chronicum continens res memorabiles ab initio mundi vsque ad annum Dom. millesimū quingentesimum. Opus distinguitur in duo volumina, & primum quidem continet generationes 63. ab Adam vsque ad Christum, alterum continet generationes quinquaginta, & vnam.

*De Alberto Krantzio. 1500.*

**A**lbertus Krantzius Bambergensis, vir admodum diligens in historiis conscribendis, viuebat an. Dom. millesimo quingentesimo.

Scripsit Metropolim, quæ continet historiam Ecclesiasticam.

Item historiam Saxoniam, & Vandalicam, & Chronicum aliarum Septentrionalium regionum. Sed impiæ notæ ad marginem additæ ab hæreticis, fecerunt, vt libri huius auctoris prohiberentur in Indice Romano, donec purgarentur.

*De Felino. 1500.*

**F**elinus Sandeus Ferrariensis, Iurisconsultus celeberrimus, viuebat anno Domini 1500.

Scripsit



Scriptit in libros Decretalium.

Item tractatum de Iure patronatus.

Sermonem de Indulgentia plenaria, & alia.

*De Ioanne Trithemio. 1500.*

**I**oannes Trithemius, natione Germanus, Abbas Spanhemensis, Ordinis S. Benedicti, viuebat an. 1500. & obiit anno 1519. ætatis suæ 57.

Scriptit opera plurima, sed notiora sunt historica quæ simul edita sunt Francofurti anno 1600.

Scriptit igitur:

De illustribus viris Germanis.

De illustribus viris, Ordinis sancti Benedicti.

De Scriptoribus Ecclesiasticis.

Chronicum Monasterii Hirsaugiensis.

Chronicum Monasterii Spanhemensis.

De origine Francorum:

De successione Ducum Bauariæ, & Comitum Palatinorum.

Scriptit etiam Epistolas, Sermones, & varia opera spiritualia. Denique scripsit de septem secundis intelligentiis orbem mouentibus, & opus inscriptum Steganographiam, id est, occultam scriptionem, quod opus prohibitum merito est, cum sit plenum perniciosis dogmatibus ad Magiam pertinentibus, quod & ipse agnouit, & confessus est.

*De Iacobo VVimphelingio. 1500.*

**I**acobus Wimpelingius Presbyter Ecclesiæ Spirensis, Orator, Poeta, & Historicus non contemnendus, viuebat anno Dom. 1500. Scripsit præter alia Epitomen rerum gestarum per Germaniam.

*De Baptista Mantuano. 1500.*

**B**aptista Mantuanus, Ordinis Carmelitarum Prior generalis, Poeta fuit doctus, & pius: & multa carmina scripsit in laudes Sanctorum, viuebat anno Dom. millesimo quingentesimo.



## De Thoma Caietano. 1500.

**T**homas de Vio, patria Caietanus, Ordinis Prædicatorum Prior generalis, ac postea Cardinalis Presbyter à Leone decimo creatus, vir fuit summi ingenii, nec minoris pietatis, viuebat anno Domini 1500. & obiit anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quarto, ætatis 66.

Scriptit Commentaria in omnem sacram Scripturam, præterquam in Prophetas, & in Apocalypsim.

Scriptit etiam Commentaria in totam Summam S. Thomæ. Denique opuscula permulta, & librum Ientaculorum, & Summam Casuum conscientiæ, quæ notissima sunt.

## De Dominico Iacobatio.

**D**ominicus Iacobatius Romanus, Rotæ auditor, & postea Cardinalis à Leo. X. creatus anno millesimo quingentesimo decimosextimo.

Scriptit insigne opus de Conciliis.

## De Iacobo Sanazario. 1500.

**I**acobus Sanazarius eodem tempore scripsit egregium Carmen de partu virginis.

## De Francisco Ferrariensi. 1500.

**F**ranciscus Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum Prior generalis, viuebat anno Domini millesimo quingentesimo, & obiit anno millesimo quingentesimo vigesimo octauo.

Scriptit egregia Commentaria in Summam S. Thomæ contragentes: scripsit etiam de vita B. Osannæ Mantuanæ libr. sex, & multa philosophica.

## De Ioanne Francisco Pico. 1500.

**I**oannes Franciscus Pico, Ioannis Pici nepos, vir doctus, & pius, viuebat ann. Dom. millesimo quingentesimo.

Scri-



Scriptit de rerum prænotione libros nouem aduersus vanitatem Astrologorum.

Scriptit etiam pro veritate religionis Christianæ contra superstitiones gentilium: & opera alia permulta tum prosa, tum versu, quæ satis nota sunt.

*De Ioanne Tabiensi. 1500.*

**I**Oannes Tabiensis natione Ligur, Ordinis Prædicatorum Theologus, & Canonista, scripsit summam Casuum conscientiæ, quæ Tabiena dicitur, quam Thomæ Caietano dicauit.

*De Hectore Boethio. 1500.*

**H**ector Boethius Scorus, scripsit libros 17. historiæ Scoticæ Scripsit etiam descriptionem Regni Scotiæ, & Regum Scotorum.

*De Iacobo Almaino. 1500.*

**I**acobus Almainus, Doctor Parisiensis, viuebat an. Do. millesimo quingentesimo, & scripsit in tertium, & quartum sententiarum.

Item moralia. Item opuscula varia.

*De Ioanne Maiore. 1500.*

**I**Oannes Maior, natione Scotus, viuebat anno Domini 1500.

Scriptit in quatuor libros sententiarum; item Commentarium in Matthæum, & historiam maioris Britanniæ.

*De Adriano sexto. 1500.*

**A**drianus sextus Pontifex, natione Traiectensis in Belgio, viuebat anno Domini millesimo quingentesimo, & obiit anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio. Vir fuit optimus, & doctissimus, & merito doctrinæ, & pietatis ex humili loco, & pauperrima domu ascendit ad magnas opes, & maiores honores. Scripsit disputatio-



nes in quartum sententiarum, & epistolas insignes, quarum vna valde prolixa, & docta ad Saxoniz Ducem, extat in tomis conciliorum.

*De Francisco Lycheto. 1500.*

**F**ranciscus Lychetus, Ordinis Minorum Minister generalis, viuebat anno millesimo quingentesimo, edidit Commentaria in tres primos libros sententiarum, iuxta doctrinam Scoti.

*De Syluestro Prierate. 1500.*

**S**yluester Pieras, natione Pedemontanus, Ordinis Prædicatorum, Magister sacri Palatii, viuebat ann. Do. millesimo quingentesimo, & primis omnium scripsisse dicitur aduersus Martinum Lutherum.

Sed scripsit etiam in quatuor libros sententiarum.

Item summam casuum conscientiz.

Librum super Euangelia inscriptum, Aurea Rosa.

Librum de strigibus.

Conflatum ex operibus S. Thomæ, quatuor voluminibus comprehensum, & alia nonnulla.

*De Ioanne Eckio.*

**I**oannes Eckius, natione Sueuus, viuebat anno 1500. & lex primis fuit, qui hæresiarchæ Luthero, & coram disputando, & scriptis libris strenue se opposuit.

Scripsit Enchiridion, in quò controuersias fere omnes breuiter, & diluci de comprehendit.

Scripsit etiam seorsim de sacrificio Missæ libros duos.

Et deinde iterum alios tres.

Item de primatu S. Petri.

De penitentia, & virtutibus pœnitentiæ annexis.

Item postillas, siue homilias de tempore, & de Sanctis.

Scripsit quoque multa Philosophica in libros 8. Physicorum,

In libros de celo,

In libros de generatione,



In Meteora.

In libros de Anima, & alia.

*De Conrado Koellin. 1500.*

**C**onradus Koellin Germanus, Ordinis Prædicatorum viuebat anno 1500. & obiit senex an. millesimo quingentesimo trigesimo sexto.

Scriptit egregie in primam secundæ S. Thomæ.

Scriptit etiam Quodlibeta multa: & preterea opus inscriptum Euerfio Lutherani Epitalamii 4. libris comprehensum.

*De Francisco Titelmanno. 1500.*

**F**ranciscus Titelmannus, Belga Ordinis Minorum, vir sanctus, & doctus, cuius omnia scripta, etiam Philosophica miram pietatem spirant, viuebat an. 1500. & scripsit Apologeticum pro editione vulgata scripturæ: & simul collationem super epistolam ad Romanos contra Iacobum Fabrum, & Desiderium Erasmum adhuc viuentes, quæ excusa sunt Antuerpiæ anno millesimo quingentesimo vigesimo nono. Scripsit in Psalmos, in Cantica, in prima capita Iob, & alia, quæ notissima sunt.

*De Ioanne Roffense. 1500.*

**I**oannes Fischerus, natione Anglus, Episcopus Roffensis, ac postea S. R. E. Cardinalis & quod longe gloriosius est, Martyr Christi, occisus Henrici octauæ Regis Anglorum iussu anno Dom. millesimo quingentesimo trigesimo quinto, iam senex, & multis perfunctus laboribus: proinde florebat anno Dom. 1500.

Scriptit aduersus articulos Lutheri, quos Leo decimus Papa damnauerat.

Scriptit etiam contra librum eiusdem Lutheri, qui inscribitur, de captiuitate Babylonica.

Et de Christiano Sacerdotio contra eundem.

Scriptit item de Eucharistia contra Oecolampadium.

Item de vnica Magdalena contra Iacobum Fabrum.

Item in septem Psalmos. Eiusdem esse creditur assertio



Septem sacramentorum, quæ nomine Regis Henrici octavi prodiit.

Porro liber de fiducia, & misericordia Dei, qui in Indice Romano prohibetur, aut est alterius Ioannis Fischeri, ut falso nostro attributus fuit.

*De Thoma Moro. 1500.*

**T**homas Morus æqualis fuit Ioannis Fischeri, eiq; amicissimus & nobilis collega Martirii. Fuit autem vir doctrina varia excultus, & ingenii amœnissimi, quippe Theologus, Philosophus, Orator, Poeta, Historicus, linguæ Græcæ, & Latinæ peritus.

Scriptit, vt Theologus, insignem responsionem ad epistolam Martini Lutheri: nec non explicationem passionis Dominicæ. Item libellum, Quod pro fide Christi mors fugienda non sit.

Vt Philosophus libros duos de optimo statu Reip. quos Utopiam inscripsit.

Vt Orator, declamationem Lucianicæ respondentem.

Vt poeta, Epigrammata plurima.

Vt historicus, res gestas Richardi tertii Angliæ Regis.

Vt linguæ vtriusque peritus, Dialogos Luciani è Græca lingua in Latinam conuertit.

*De Ioanne Fabro. 1500.*

**I**oannes Faber, Episcopus Viennensis, viuebat an. 1500. & vnus fuit ex præcipuis Doctoribus, qui Luthero, & Lutheranis restitit.

Scriptit Malleum hæreticorum libris sex.

Orthodoxæ fidei Catholicæ defensionem aduersus Balthasarem Pacimontanum.

Librum de potestate Summi Pontificis contra Lutherum.

Homiliarum de sanctissima Eucharistia, & aliorum argumentorum ingentem numerum, & alia, quæ notissima sunt.

*De la-*



*De Iacobo Latomo. 1500.*

**I**acobus Latomus Belga insignis Theologus, viuebat an. 1500. Scripsit de Ecclesia, de Primatu Pontificis, de Confessione secreta, Responſionem ad articulos Lutheri, de Miſſa, de Fide, & operibus, & alia, quæ extant Louanii ſimul excuſa anno 1500. obiit anno.

*De Ioanne Driedone. 1500.*

**I**oannes Driedo Aturnhar Belga vir doctiſſimus, ſcripſit libros quatuor de Eccleſiaſticis Scripturis de dogmat. de libertate Chriſtiana li. 3. de captiuitate, & redemptione generis humani li. 1. de Concordia liberi arbitrii, & prædeſtinationis diuina: lib. 1. De gratia, & libero arbitrio lib. 2. extant impreſſa omnia Louanii anno 1556.

*De Ioanne Cochleao. 1500.*

**I**oannes Cochleaus Norimbergensis, vir doctiſſimus, & fidei Catholicæ propugnator eximius, viuebat anno 1500. ſed obiit 1552.

Scripſit opuscula plurima contra Lutherum, Melancthonem, & alios ſectarios.

Scripſit librum de Actis, & ſcriptis Lutheri, valde vtilem ad Lutheranos confundendos.

Scripſit Septicipitem Lutherum, vt oſtenderet Lutheri contradictiones, & inconstantiam.

Scripſit hiftoriam Huſſitarum libris duodecim.

Denique non ſolum ſcriptis plurimis Lutheranos exagitauit, ſed obtulit ſe ad diſputandum cum quouis Lutheranis, ſub pœna capitis, ſi in probationibus deſceſſet, cuius rei teſtis eſt Surius in hiftoria anni 31. & ipſe etiam Cochleaus in libro de actis, & ſcriptis Lutheri.

*De Francisco Victoria. 1500.*

**F**ranciſcus Victoria, natione Hiſpanus, Ord. Prædicatorum, viuebat an. 1500. & obiit an. milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto. Vir fuit egregie doctus, & ſcripſit Relectiones valde eruditas.



- De potestate Ecclesiæ.  
 De potestate civili.  
 De potestate Concilii.  
 De Iudis.  
 De Matrimonio.  
 De augmentis charitatis.  
 De eo ad quod teneretur perueniens ad vsum rationis.  
 Extat sub eius nomine summa de Sacramentis. Sed eam  
 non ipse, sed discipuli eius ex scriptis ipsius collegerunt.

## De Dominico Soto. 1500.

**D**ominicus Sotus patria Segobienſis, Ordinis Prædicatorum, vir doctiſſimus, & pius valde qui Carolo V. Imperatori à ſacris Confessionibus fuit, & Concilio Tridentino interfuit anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, & obiit anno 1560.

Scriptit opera, quorum ipſe Catalogũ texit in recognitione operum ſuorum, quam poſuit in extremo libro ſuo in quartum ſententiarum.

Scriptit igitur Commentarium in epistolam ad Romanos.

De natura, & gratia libros tres.

De ratione regendi, & detegendi ſecretum, libros tres.

De Iuſtitia, & Iure libros decem.

Commentaria in quatuor libros ſententiarum, in duobus tomis diuiſa.

Ad hæc, in Dialecticam, & Philoſophiã Ariſtoreliſ Cõmentaria, & opuscula minutiora de iuramento. In cauſa pauperum, & alia id genus, hæc ille: qui poſtea ſcripſit etiam Apologiam aduerſus Ambroſium Catharinum, qui de certitudine gratiæ cum eo contendere cõperat: quæ Apologia habetur adiuncta libris de natura, & gratia.

## De Ambroſio Catharino. 1500.

**A**mbroſius Catharinus, patria Senenſis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Compeſe, viuebat an. Do. 1500. & obiit ſenex anno 1552. Multa ſcripſit, quæ extant, ſed aliqua iudicio Eccleſiæ improbara, vt de verbis, quibus



bus Christus confecit Sacramentum Eucharistia: aliqua communiter à Doctoribus refelluntur, vt de certitudine gratia, De prædestinatione, De loco decedentium cum peccato originali, & alia.

Quare opera eius caute legenda sunt.

Scripsit in quinque priora capita Genesis.

Et in Epistolas sancti Pauli.

Et in Epistolas Canonicas.

Scripsit aduersus Martinum Lutherum, opus impressum anno 1521. & alia quæ nota sunt.

*De Martino Nauarro.*

**M**artinus Aspilcueta Nauarrus, vir doctissimus, & pi-  
missimus, viuebat anno 1500. Quippe, qui natus est  
anno 1493 & peruenit ad an. 1586. ætatis suæ 94. vt est in  
epitaphio ipsius: & colligitur ex verbis eius, qui octoge-  
narium se fuisse scripsit, cum Manuale dedicauit Grego-  
rio XIII. Pontifici anno eius primo.

Scripsit multa opera, quæ sex tomis continentur, edita  
Venetiis 1602.

*In primo tomo sunt.*

Vita eius. Manuale.

De Vsuris. De cambiis.

De simonia mentali.

De furto notabili.

De necessitate defendendi proximum.

De homicidio casuali.

*In secundo tomo sunt.*

De silentio in diuinis officiis.

In cap. inter verba.

Sexta Conclusio perfecta.

De fama & infamia.

De Regularibus.

De alienatione rerum Ecclesiasticarum.

De spoliis Clericorum.

De redditibus Ecclesiasticis.



Propugnaculum pro libro superiore.

In cap. Humanæ aures.

De incompatibilitate beneficiorum.

De finibus humanorum actuum.

*In tertio tomo sunt.*

Commentaria in septem distinctiones de pœnitentia.

De Indulgentiis, siue de Iubilæo.

De Eleemosyna.

De & promissis pro iustitia, vel gratia obtinenda.

De lege pœnali.

*In quarto tomo sunt.*

Libri de horis Canonicis, & Oratione.

Miscellanea de Oratione.

In cap. si quando, & in cap. cum contingat de rescriptis.

In rubricam de Iudiciis.

Relectio in cap. Nouit de Iudiciis.

Relectio in cap. Accepta, de restitut. spoliat.

In cap. Ita quorundam de Iudæis.

*In quinto, & sexto Tomo sunt Consilia, & Responsiones.*

Atque hic finis sit libri de Scriptoribus Ecclesiasticis. Cæteri enim Scriptores, qui post annum millesimum quingentesimum nati sunt, omnem pene numerum excedunt, & plurimi eorum adhuc viuunt, vt æquum non sit de eorum operibus iudicare.

\*

\* \*

INDEX